

OPUSCULUM
R. P. MAURITII CHAUNCY
DE
BEATIS MARTYRIBUS ANGLICIS
ORDINIS CARTHUSIENSIS
JOANNE HOUTON ET SOCIIS EJUS.

Sanctissimus Dominus noster Papa Leo XIII, die nona decembris anni 1886 per beatificationem æquipollentem purpuratæ Martyrum aciei adjunxit primam et antesignanam cohortem illorum virorum, qui sub Henrico VIII Elizabethaque regina, quando Anglia, ferax ille sanctorum ager, a fide deficiebat, ad tuendam Ecclesiæ catholicæ summique pontificis auctoritatem, solemne christianorum, * Oportet potius obedire Deo quam hominibus , ingeminantes, superatis exquisitæ crudelitatis tormentis, sanguinem suum libentissimo animo profuderunt. Hos inter recensentur sacri Carthusiensis ordinis alumni decem et octo ; quorum præclarum certamen litteris enarravit testis oculatus R. P. Mauritius Chauncy, et ipse carthusiæ Londiniensi ascriptus. Hoc opuscolum non semel typis evulgatum est (1); nobis tamen catalogum codicum hagiographicorum bibliothecæ regiæ Hagensis parantibus, in codice papyraceo foliorum 18, signato O . 81¹⁸ contigit offendere narrationis hujus textum stylo diversum ab eo qui typis Moguntiæ prodiit anno 1550. Ut ergo pro virili parte aliquid laudis conferamus sanctis martyribus qui recentiori ætate in tuendis Ecclesiæ juribus nos animi firmitatem docuerunt, Mauritiū lucubrationem insertam volumus *Analectis* nostris, omnem diligentiorem inquisitionem remittentes ad tempus quo, jam collectis in unum omnibus documentis, integrum de sanctis Angliæ martyribus ævo reformationis commentarium confidere licebit.

(1) R. P. Morris S. J., cuius apud catholicos magnum est nomen, in suo opere : *The troubles of our catholic forefathers related by themselves*, first series, non semel de Mauritio ejusque epistola mentionem facit; ex pag. 25, not. 2 sequentia describimus : * Mauritius Chauncy filius natu major Joannis Chauncy ac Elizabethæ Proffit primus prioratum tenuit in carthusia anglicana Brugensi, obiitque 2 julii anni 1582. Ejus opuscolum inscriptum : *Historia aliquot nostri seculi martyrum* prodiit Moguntiæ an. 1550, Monachi an. 1573 in *Illustris Ecclesiæ catholicae trophæa*, Mediolani an. 1606, Gandavi et Colonice an. 1608. „

**Passio quorundam venerabilium patrum Carthusianorum
in Anglia.**

Prologus.

Descripturus, venerabiles patres ac prædilecti in Christo fratres, originem et progressum, quare videlicet et qualiter in regno anglicano cum aliarum religionum monasteriis etiam nostri sacratissimi ordinis Carthusiani domus eversæ sunt et pæne ad nihilum redactæ, earumque inhabitatores persequentium rabie sunt aut ignominiosæ mortis sententia absorpti, aut profligati ac dispersi; ea præcipue quæ in domo meæ professionis, Londonensi videlicet, acta sunt, quæ ipse vidi aut a confratribus visa et mihi narrata veraciter cognovi, specialiter intimare decrevi; eo quod maxime per sequentium furor in habitatores aut filios hujus novæ domus exarserit. Sed ab hoc opere me hactenus absterruit et propria imperitia et deflenda hujus temporis iniquitas. At nunc ereptus de laqueo venantium et in domo Vallis Gratiae juxta Brugas ejusdem nostri ordinis Carthusiani velut in tutissimo portu constitutus, a venerabili patre ejusdem domus Petro Ruge ab Hoorne hoc ipsum opus aggredi rogatus sum et impulsus, hoc ante omnia protestans me hic nihil ad assentationem aut propriæ laudis appetitum positurum.

Finit Prologus.

1. Igitur cum regnum anglicanum unice floreret et sacræ religionis ac divini cultus observantia et rerum temporalium affluentia, graviter id ferens humani generis inimicus omnimode præpedire, cunctaque quæ ad ipsius divini cultus ac sacræ religionis disciplinam pertinebant demolire conatus est. Quod, proh dolor! nimium efficaciter, ut palam cernere est, complevit; sed et hanc, quæ in ipso regno anglicano subsecuta est, calamitatem Deus optimus maximus diversis præmonstrare dignatus est prodigiis.

2. Anno enim ab incarnatione Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio, visus est imprimis cometa terri-

bilis per totum regnum adeo terribiliter scintillare atque coruscare, ut cernentibus horrorem incuteret. Visa est præterea eodem anno sphæra sanguinea in aere dependere, quæ etiam cernentibus horrorem incutiebat; apparuere præterea et eodem anno duo cunei muscarum infinitæ multitudinis, quæ ipsum regnum ex magna parte occuparunt; in quorum uno muscæ fuerunt nigerrimæ atque deformes, similes illis quæ gignuntur e fimo jumentorum; in altero vero cuneo muscæ fuere diversorum colorum et oblongæ, similes illis quæ volitant in arundinetis. Hæc quidem omnia signa et prodigia, quæ subsecuta est, designabant, ut facile divinari potest, calamitatem. Sed omnes instantissima prece clementissimum Dominum deprecabantur propitium fore et in bonum monstra converti.

- 15 3. Cum igitur, ut prædictum est, regnum anglicanum singulariter floreret christianæ atque monasticæ religionis observantia et divitarum affluentia, contigit humani generis inimicum, his invidentem, animum regis ejusdem regni Angliæ ad quædam illicita in suo regno peragenda incitare.
- 20 Super quæ omnium sibi subditorum consensum extorquere natus est, qui sedecim annorum erant et supra, cuiuscunque status vel conditionis, et primo ut omnes assentirent et juramento affirmarent, priore regina et uxore licet superstite, secundas ejus nuptias esse licitas, et prolem de eis
- 25 susceptam ut verum heredem regni susciperent et obedienciam eidem promitterent. Cumque regis commissarii ad istud regis edictum exsequendum ad domum Salutationis beatæ Mariæ juxta Londonias devenissent, primo venerabilem patrem priorem ejusdem domus Joannem Houghton
- 30 aggressi sunt, requirentes ut ipse et omnes sibi subditi regiæ jussioni ac ordinationi assensum præberent. His auditis, respondit non esse suæ vocationis sese vel quemquam suorum ingerere debere aut posse regiis negotiis, neque sua interesse quam vellet rex repudiare aut recipere uxorem.
- 35 Sed hoc responso non contenti, voluerunt ut absque ulla dissimulatione aut tergiversatione, omni suo convocato conventu, sub præstito juramento priores illicitas et poste-

riores nuptias fore licitas affirmarent. Ipso autem respondentे sese non posse capere quo pacto priores nuptiæ secundum ritum ecclesiasticum celebratæ et tamdiu obseruatæ irritæ fieri possent, jussus est ipse mox recludi in carcere turris Londoniensis cum patre Humphrido Mydelmore, ⁵ procuratore ejusdem domus, ubi per unum mensem detenti fuerunt. Interim vero persuasum est eis a quibusdam probis et doctis viris illam non esse causam fidei et ob quam mors obeunda foret. Illi autem, his auditis exhortationibus, regiæ annuerunt jussioni, sicque dimissi domum redierunt, quos ¹⁰ admodum læti suscepimus. Verum cum idem juramentum a ceteris conventionalibus foret exigendum, non minima erat inter nos conturbatio; quod cernens pius pater ait: *Venerabiles patres et fratres, acquiescamus, obsecro, hac vice regiis jussionibus, et tantisper, dum licet, Deo non offenso pariter vivamus; quia nondum statim finis. In ipsa enim nocte qua ego et frater noster procurator dimissi fuimus, in somnis mihi revealatum fuit me sic non evasurum, sed in proximo tempore in eundem carcerem deducendum, et cursum meum consummatum. Restat igitur adhuc aliud nobis proponendum.* Cum ²⁰ hæc agerentur, venere regis commissarii, idem juramentum a cunctis conventionalibus exacturi aut renuentes carceri mancipaturi. Quos bina vice vacuos remisimus postulata facere unanimiter renuentes, eorumque minas pro nihilo ducentes. Tertio autem ad nos ob eandem causam venientes ²⁵ secum adduxerunt rectores civitatis cum satellitibus suis. Quod nos considerantes, piis ac salutaribus sancti patris nostri prioris Joannis Houghton consiliis et exhortationibus acquiescere decrevimus, et sic demum in verba regis omnes juravimus, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo ³⁰ quarto, vigesima quarta die maii, prioratus patris nostri anno quarto.

4. Nos igitur hujus immanis beluae ventre, salva conscientia, uti sperabamus, liberati, admodum gavisi fuimus, existimantes nos deinceps pacem cum rege nostro habituros, ³⁵ ejus obediendo jussionibus; sed evidenter experti fuimus quod maledictus est, qui confidit in principibus, in quibus

non est salus. Nam in principio anni Domini millesimi quingentesimi trigesimi quinti diffinitum fuit per regem et consiliarios suos in celebri actu parlamenti quod omnes auctoritatem et obedienciam quam debebant domino papæ aut alteri cuicunque abrenuntiarent, et ipsum regem ut supremum caput ecclesiæ anglicanæ tam in spiritualibus quam temporalibus sub juramenti attestatione susciperent; contradicentes vero tanquam rei criminis læsæ majestatis habarentur et æquali morte plecterentur. Quod cum per totum regnum promulgatum fuisset, venerabilis pater noster prior Joannes Houghton mox totum convocavit conventum atque ea quæ ordinata fuerant indicavit. Quibus auditis, consternati fuimus omnes animo valde, et in magnum resoluti fletum diximus omnes constanti animo et viva voce : *Moriamur omnes in simplicitate nostra : et testes erunt super nos cælum et terra quod injuste perdit̄ sumus. His auditis, respondit mæstus pater et ait : Utinam ita fiat ut una mors reddat vivos, quos una vita tenuit mortuos. Sed nec tantum bonum nobis nec tantum malum sibi ipsis illaturos vereor. Sed hæc potius, ut reor, facient : me et seniores morti tradent; juniores vero liberos dimittent. Nihilo minus in omnibus Domini voluntas fiat. Sed ne imparati inveniamur in hora qua Dominus januam pulsare dignabitur, disponamus nos ac si statim morituri. Jacula enim prævisa minus feriunt.* Quo dicto, dedit cunctis licentiam unicuique eligendi sibi confessorem quemcumque voluisse de congregacione, facturus eidem generali confessionem et recepturus ab eo plenariam ordinis absolutionem. Quo facto, *quia in multis, inquit, offendimus omnes, et quia unusquisque debitorem habet fratrem, et etiam quia sine charitate nec mors nec vita nec aliud quid valet, publice invicem reconciliabimur; et post hæc missam de Spiritu sancto celebrabimus pro gratia impetranda, ut ipsius beneplacitum in nobis salubriter adimpleri possit.*

5. Igitur cum dies reconciliationis advenisset, præmisso diutino ac devotissimo sermone per patrem nostrum priorem Joannem Houghton de caritate, patientia et spe firma in Deo, qui non deserit sperantes in se, eundem sermonem

concludendo dixit idem sanctus pater : *Melius est nos hic pro culpa brevem suscipere pœnam quam æternis servari cruciatis.* Et subjunxit : *Carissimi patres et fratres, obsecro vos ut ea quæ me videtis facere, et vos facere velitis.* Quo dicto, statim surrexit. Et ad seniorem juxta se sedentem accessit, et coram eo genibus flexis, humiliter veniam petiit et indulgentiam de omnibus suis excessibus et delictis in eum aliquo modo commissis corde, ore aut opere. Quod alter ab eo similiter petiit. Et sic procedens eadem petiit a singulis usque ad ultimum conversum amarissime plorans per singulos ; et simili- 10 ter omnes eum sequebantur sigillatim singuli petentes a singulis veniam et condonationem. O quantus ibi luctus et quantæ profusæ lacrimæ ! Vere ibi vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus. Ab hac die qui vultum sancti patris nostri prioris, antea nunquam ob qualemcumque even- 15 tum in diversa mutatum, intuitus fuisset, cognovisset utique quis, qualis et quantus mæror et dolor cor ejus attigerat. Facies enim et color immutatus internum animi declarabant dolorem. Circumfusa enim erat viro interna quædam mæstitia et horror corporis, per quæ dolor cordis aspicientibus 20 manifestus efficiebatur.

6. Die autem adveniente quo missa de Spiritu sancto in conventum celebranda erat, ad hanc rite persolvendam ipse venerabilis pater noster prior Joannes Houghton sese devotissime præparavit ; sub qua et clementissimus Deus servos 25 suos visitare dignatus est. Nam in ipsa missa, peracta elevatione, mox sibilus quidam aurae tenuis, exterius paululum sonans, sed interius operans, ab omnibus sentiebatur, et plus auribus cordis quod corporis hauriebatur. Quo percepto ipse venerabilis pater prior in tantam est divinæ illustratio- 30 nis copiam et lacrimarum redundantiam resolutus, ut per longam moram in officio missæ procedere nequiverit ; et hanc divini munera abundantiam non solum qui in choro erat, sed etiam alii fratres conversi, qui in aliis ecclesiæ partibus erant, perceperunt. De hac autem divinæ visitationis 35 gratia erat in prima conventione pia et humilis inter patrem et filios concertatio, patre id filiorum devotioni attribuente,

filiis autem patris sanctitati. Quanta autem fuerit in hac sancta congregazione ab hac die precum instantia, ut clementissimus Deus cuncta ad sui nominis honorem et animarum salutem disponere dignaretur, non meæ est possibiliatis posse enarrare.

7. Contigit interea ad domum nostram declinare venerabilem patrem Robertum Laurence, priorem domus Bellevallis, nostræ domus professum, virum plane religiosum ac pietate plenum; et infra biduum venerabilem patrem Augustinum Webster, professum domus de Sheene, priorem domus Visitationis B. Mariæ, juxta Auxiolme, pro negotiis domus suæ ad nostram domum etiam declinare. Qui, auditis quibus premeremur malis et angustiis, communi consilio decreverunt regis vicarium, dominum Thomam Crumvell pariter adire, quatenus ejus interventu et iram regis fortius in nos accensam, eo quod audierat nos ejus resistere velle decreto, mitigarent; et ut ab eodem sese eximere possent. Ad quem cum accessissent eique sua desideria supplicationesque humillime exposuissent, ille admodum indignabundus eos audire renuit, et mox tanquam rebelles carceri mancipavit; in quo per hebdomadam detenti fuerunt, qua expleta, ad se deductis regis ac parlamenti edictum proposuit, vide-licet quod auctoritati papæ abrenuntiarent, ipsumque false ac violenter ecclesiæ primariæ potestatem usurpasse affirmarent. Et ideo ipsius obœdientiam fore abnegandam, et ut deinceps soli regi suisque obtemperarent, atque ipsum regem supremum caput ecclesiæ anglicanæ tam in spiritualibus quam temporalibus fore crederent et affirmarent. Cumque patres nostri respondissent sese in omnibus promptissime obtemperatueros, quæ et in quantum lex divina admitteret, subintulit ille : *Omni exceptione prætermissa, volo ut plene ac sinceriter corde et ore ac sub præstito juramento affirmabitis et firmiter tenebitis quæ a vobis requiruntur.*

8. Responderunt beatissimi patres nostri sanctam matrem Ecclesiam aliter semper tenuisse ac docuisse. Dixit ille : *Ecclesiam non curo; vultis consentire an non?* Responderunt illi sese propter timorem Dei non ausos fore deserere catho-

* cod.
et docet;
an forte
ut docet?

licam Ecclesiam, quia sanctus Augustinus dicit se nec evangelio Christi voluisse credere, nisi sancta ortho⁵doxa Ecclesia eum docuisset et doceret*. His auditis jussi sunt iterum in carcerem recludi. Die autem constituto producti sunt ante tribunal; ubi cum super eodem negotio denuo fuissent requisi¹⁰sti, penitus contradixerunt dicentes nullo pacto se legi Dei, doctrinæ atque consuetudini sanctæ matris Ecclesiæ vel in minimo velle contraire. Quo dicto, mox electi fuerunt duo-decim viri, qui sub præstito juramento tractarent utrum illi tres viri, qui regis ac parlamenti decretis acquiescere ac subjacere noluerunt, digni essent morte an non. Qui hoc mandato habito, sententiam in crastinum distulerunt. Ven¹⁵tilata autem per totum illum diem inter eos hac quæstione, concluserunt eos innocentes fore et immunes a legis transgressione ac in nullo reos. Interea suspicatus ille vicarius regis bonam conscientiam illorum duodecim virorum, in vesperam primæ diei, antequam sententiam promulgassent, misit ad eos ad sciscitandam causam tantæ dilationis, et quidnam facere intendebant. Illi renuntiaverunt sese tam²⁰ sanctos viros non ausos fore adjudicare malefactores aut in aliquo reos. Hoc responso accepto, ille in iram concitatus remisit mox ad illos dicens : *Si vos illos culpabiles non invenieritis, vos ipsi mortem transgressorum subibitis.* Illi has minas audientes et parvipendentes, in proposito perstiterunt; quod ille audiens, illico ad eos ut furibundus venit, et crude²⁵lioribus minis eos compulit ad condemnandum patres nostros reos esse criminis læsæ majestatis. Hac sententia prolata, data est sequenti die a judicibus sententia mortis super patres nostros, ejus scilicet quæ in reos criminis læsæ majestatis dari consuevit. Et sic denuo in carcerem detrudi³⁰ jussi sunt, ubi et manserunt diebus quinque. Quas interim illi sancti patres molestias ibidem passi sunt, nec verbo nec scripto posset facile comprehendendi. Illisque sic stantibus in magna constantia adversus eos qui ipsos deprimebant, man-³⁵ datum fuit ut ad mortem educerentur, quod et factum est.

9. Primum itaque resupini et toto corpore extenti super craterem vimineam, — vulgariter *een hurde* dictam, — alligati

fuerunt, et sic retro ad calces equorum per totam civitatem Londoniensem et demum usque locum ubi scelerati plecti consueverunt, appellatum Syburne tracti, qui locus a civitate Londoniensi per tria miliaria anglicana distat. Quot
 8 gravamina quantosque cruciatus per totam illam viam modo per turgida et aspera loca, modo per aquosa et lutosa, quæ in via admodum abundabant, illi sancti patres tracti pertulerint, quis enarrare sufficiat? Plane nemo. Deducti tandem ad determinatum locum, primum sanctus pater noster prior
 10 ac visitator anglicanæ provinciæ Joannes Houghton solutus fuit. Et mox spiculator, ut moris est, genu flexo indulgeri sibi petiit mortem, quam sibi illaturus erat. O bone Jesu! cuius vel saxeum pectus non emollivisset, tam sancti viri benignitas, si eum tunc temporis intuitus fuisset, quam affabiliter allocutus fuit illum, quam dulciter amplexatus, et quam pie ac ferventer pro eo ceterisque circumstantibus oraverit. His expletis jussus est bigam ascendere sub patibulo ubi suspendendus erat, qui et in hoc mitissime paruit. Tunc unus ex consiliariis regis, qui ibi astabat, cum infinita
 20 hominum multitudine petiit ab eo si annuere vellet regiæ jussioni ac decreto parlamenti; hoc enim facto, venia sibi daretur. Respondit constans martyr Christi: *Testem invoco omnipotentem Deum et vos omnes obsecro idem pro me attestari in terribili die judicii, quod hic moriturus publice profiteor,*
 25 *quod domini vestri regis voluntati non obtempero: me non ex aliqua pertinacia, malitia aut animo rebellandi id facere; sed solummodo ob timorem Dei, ne scilicet divinam majestatem offendarem, quia sancta mater nostra Ecclesia aliter statuit docet et tenet, quam ipse rex vester cum suo parlamento ordinavit, et ideo in conscientia mea obligatus sum et paratus hæc et omnia, quæ infligi possunt, tormenta potius pati quam ejus doctrinæ adversari.* Et his dictis, inducias petiit a lictore conceptæ finiendæ orationis, quæ erat Ps. *In te Domine speravi, et cetera, usque ad illum versum: In manus tuas et*
 30 *cetera inclusive; qua dicta et signo dato, subtracta est biga et sic suspensus.*

10. Sed mox unus astantium, ipso adhuc vivente, funem

abscidit, et sic decidens in terram paulum respirare cœpit. Sed statim in adjacentem locum seorsum tractus fuit, ubi vestibus violentissime extractis nudus super asserem distendebatur. In quem mox lictor nefarius manus mittens primum ejus verenda abscidit, deinde, ventre dirupto, omnia 5 ejus viscera evulsit; quæ omnia igni injecta fuerunt, ipso beatissimo patre interim continue orante. Cum autem novissime cor ipsius evelleretur, supra humanum modum patientissime ac mansuetissime sese habens, ita ut omnes simul astantes summe mirarentur, in ultimo spiritu constitutus 10 dulcissima voce clamavit: *Piissime Domine Jesu, miserere mei in hac hora;* et in ipsa cordis sui evulsione, ut fide digni, qui astitere, viri mihi retulerunt, dixit lictori: *O bone Jesu, quid facies cum corde meo;* et hæc dicens, exhalavit spiritum. Et statim caput ejus præcisum et reliquum corpus in quatuor 15 partes divisum fuit. Hoc modo vir iste sanctus fidelis inventus ad mortem, migravit ad Dominum quarto die maii anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto, ætatis suæ anno quadragesimo octavo, prioratus vero sui anno quinto, tanquam pastor bonus, qui animam suam posuit 20 non solum pro ovibus suis, sed et pro justitia et fide Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ matris Ecclesiæ.

11. Isto igitur sancto patre hoc modo perempto, alii duo prænominati venerabiles patres, videlicet Robertus Laurence et Augustinus Webster, eodem crudelissimo mortis genere 25 successive affecti, ab hac vita emigrarunt; quorum omnium membra caldariis sunt injecta et aliquantulum elixa, ut majorem horrorem cernentibus incuterent, et sic demum per diversa civitatis loca suspensa; unum autem brachium sancti patris nostri prioris Joannis Houghton ad portam 30 domus nostræ suspensum fuit, quod postmodum sponte decidens a duobus fratribus conversis sibi mutuo ibidem obviantibus collectum et honorificæ sepulturæ traditum fuit cum cruenta camisia, in qua passus fuit. Hanc autem et non aliam necis eorum causam fuisse, non solum attestantur 35 actus et statuta parlamenti; verum etiam ipse sanctus pater noster prior Joannes Houghton, postquam sententia mortis

in eum et socios ejus data fuit, cuncta eorum et interrogata et responsa in suo pugillari propria manu conscripsit, quem ad venerabilem patrem Guilielmum Exmewe procuratorem domus nostræ misit; quem demum et ipse mihi tradidit et 5 postmodum ego eundem cuidam hispano contuli, qui promisit mihi eundem pugillarem cum portiuncula camisiæ in qua passus fuit idem sanctus pater noster, sanctissimo Domino papæ sese missurum. Hæc idcirco dixi quia plerique æmuli, quorum grandis nunc est numerus, garriunt sanctum 10 patrem nostrum priorem cum sociis suis in mortem regis conspirasse, et ideo justæ ultiōnis subiisse sententiam; quod penitus falsum est, quia hujus contrarium nos, qui relicti sumus et adhuc vivimus, evidentissime cognoscimus, et etiam inimici nostri sunt judices. Nam ipse vicarius regis prædi- 15 ctus dominus Thomas Crumwell, negotii exsecutor, hanc et non aliam necis eorum causam fuisse publice protestatus est. Quam etiam nobis sub eisdem forma et verbis, quoties ad nos venit, proposuit et a nobis extorquere nisus est.

12. His itaque sanctis eo, quo prædictum est, modo truci- 20 datis, infra tres sub sequentes hebdomadas quidam infimæ conditionis homines et nullo nomine digni ad præfatum regis vicarium accesserunt, postulantes ab eo auctoritatem plures Carthusiensium illudendi et affligendi. Qua libenter concessa, concito ad nos venere gradu, et tres venerabiles patres, qui 25 capita remanserant, rapuerunt, videlicet patrem Humfridum Mydelmore, tunc vicarium domus et antea procuratorem, Guilelmum Exmewe, prius vicarium sed tunc procuratorem, eximiæ sanctitatis virum et apprime doctum, græco latino- que sermone eruditum, et patrem Sebastianum Newdegate 30 admodum nobilem et in curia regis enutritum. Qui omnes tres nostræ domus fuere monachi professi, ætate quidem juvenes, sed morum gravitate ac sanctæ conversationis integritate insignes. Hos illi viri immisericordes comprehensos mox in fetidissimum detruserunt carcerem, ibique circulis 35 ferreis ad colla manus et crura crudeliter injectis, columnis alligati continue erecti stare compulsi erant. Steteruntque in hoc crudelissimo martyrii genere absque ullo revelamine

pro quacumque corporis necessitate duabus integris hebdomadibus. Quibus transactis præsentati fuere consilio, ubi sigillatim super eodem articulo, ob quem sanctus pater noster prior et socii ejus peremptus fuerat, interrogati fuerunt. Illi autem constantissime profitentes sese nullo pacto 5 decretis et sanctæ matris Ecclesiæ consuetudinibus velle contraire, allegabant coram judicibus e fonte divinarum scripturarum diversas auctoritates, quibus fortissime comprobabant quod rex nulla juris auctoritate primatum Ecclesiæ sibi usurpare potuit, quam summus rex et pontifex 10 Christus Jesus uni soli, beato scilicet Petro et ejus successoribus romanis pontificibus, tribuit. His itaque constantissime peroratis, in proposito constantes eidem, cui et pater noster prior cum sociis suis, sententiæ subjacerunt. Illi autem exultantes in Domino cum omni alacritate invicem ad tolerantiam passionum exhortabantur, ibantque gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro Christo et ejus sponsa sancta matre Ecclesia pati. Sicque et isti tres viri eodem mortis suppicio affecti, quo tres superiores patres, sanctas Deo animas tradiderunt nonodecimo die mensis junii 20 anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto.

13. A morte autem præscriptorum sanctorum nostrorum fere duo effluxerunt anni, in quibus nulli e grege nostro apprehensi aut incarcerati fuerunt, non tamen sine gravissimis, quibus interim afficiebamur, tribulationibus. Nam tempus advenerat quo extrema necessitas pro se loqui unumquemque compulit, nullum præter Deum invenientem aut habentem adjutorem. Foris quidem semper pugnæ, sed intus his graviores timores. Mors desiderabatur, sed fugiebat; quia inimici nostri tædio nos superare nitebantur. A captione 30 namque ac nece trium novissimorum patrum nostrorum, vicarii scilicet et sociorum ejus, rectores domus nostræ constituti fuerunt seculares, qui nimium inhumane fratres tractantes, semetipsos delicate pascebant, cibaria consueta fratribus auferentes, parum quid casei aut simile quid eisdem pro 35 alimonia diei tribuebant. Plena erat domus cotidie iniquis hominibus, qui et vino et malitia ebrii nos continue illude-

bant et plerumque colaphis cædebant, ubi nostri copiam habere poterant. Subintroierunt etiam et alii curiosius nostram exploraturi libertatem, unde scilicet tantam concepissemus fiduciam et constantiam, ut ausi fuerimus præ ceteris regiis contraire decretis. Percipientes itaque horum fomentum fore crebram divinarum scripturarum lectionem, — quia per gladium spiritus, quod est verbum Dei, et testimonium authenticorum doctorum nosmetipsos viriliter defendebamus, semper parati ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis erat, fide et spe, — omnes quos in cellis nostris invenire potuerunt abstulerunt libros, ut per hoc quasi inermes effectos evincere potuissent. Sed nec hoc modo prævalere potuerunt, quia adversarios nostros plus confundebat et coartabat quorundam fratrum nostrorum sancta simplicitas et vitæ innocentia, — quibus armati terminos a patribus constitutos nullo pacto transgredi voluerunt, nec recedere a doctrina sanctæ matris Ecclesiæ, — quam aliorum erudita constantia.

14. Quadam etiam dominica quatuor e nostris fratribus, qui capita remansisse videbantur, violenter e monasterio rapuerunt, atque ad ecclesiam cathedralem civitatis Londoniensis ducentes, in eminenti loco statuerunt coram omni frequentia aulicorum et aliorum ingenti multitudine; ut sic publice confusi et evicti diversis, licet distortis, divinarum scripturarum allegationibus, quas quidam doctor et episcopus in publico suggestu proferebat, quibus edictum regis et licitum et justum astruere conatus est, desiderata complebant. Sed nec hoc modo quicquam efficere valuit eorum concepta versutia. Manserunt namque in proposito constantes, obturantes aures suas ad vocem incitantium sapienter. Instabant igitur fortiter regis consiliarii, ut omnimode nos a proposito aut deflecterent aut deterrerent; nam crebro ea de causa ad domum nostram declinabant, et frequenter apud nos in capitulo tamdiu perseverabant, ut nec vesperas nec matutinas more solito in ecclesia persolvere potuerimus; quod nos maxime angebat. Sed et quorundam parentum et amicorum nostrorum cotidianus planctus et fletus. Aderat

plane tempus probationis et experientiae, ad quid quemque sua traheret voluptas aut affectio : ad Deum scilicet an ad diabolum, quia unicuique ad quod libuit, concedebatur libertas. Sed, gratias Deo, tantus erat in nobis Dei amor, et in arrepto proposito constantia, in verbis modestia et in omnibus tanta circumspectio, ut cuncti haec videntes conturbarentur et confunderentur. Licet enim priore orbati fuimus, quilibet sui ipsius erat prior, semetipsum in omnibus religiose dirigens et gubernans.

15. Considerantes itaque regis consiliarii cassam fore omnem suam industriam et laborem, quatuor e nostris, qui columnae esse videbantur, emiserunt, atque per duas domos ordinis nostri diviserunt quarto die maii anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, eodem scilicet die quo passus est pater noster prior Joannes Houghton anno evoluto. 15 Ejectis itaque praedictis quatuor fratribus nostris, reliquos quasi jam desolatos denuo aggressi sunt inimici nostri, omni mode elaborantes aut tædio aut blanditiis nos corrumpere et ad suum propositum inclinare. Sed benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum : mansimus namque immobiles, firmati super firmam petram. Quod illi cernentes, ut ampliori divisione nostram constantiam evincere potuisserint, octo fratres de collegio nostro ad domum divæ Brigitæ transmiserunt hac intentione ut ab incolis domus illius a recto proposito avocari potuissent; — quia in eadem domo 25 admodum celebres ac religiosi viri vulgi opinione morabantur, sed, ut rei probavit eventus, et subversi fuere et subversores; — ut vel ipsorum acquiescentes consiliis, desiderata complerent, quod partim hoc modo fecerunt. Supremus namque confessor sive rector præfatæ domus in extremo mortis articulo constitutus, eo quo ibidem fuimus tempore, convocatis nobis ad se ait : *Obsecro vos, benignissimi fratres, ut mihi ignoscere dignemini : ego enim sum reus et causa mortis reverendi patris vestri prioris. Ego animavi eum ut in proposito constanter perseverans; intrepidus mortem subiret; quod 35 et fecit. At modo aliud mecum inii consilium : perspicio namque hanc subeundæ mortis causam non esse congruam,*

remque tanti non esse pretii. Quibus auditis, quidam e nostris emolliri cœperunt, atque illius senis, utpote judicis populi et in extremis constituti, acquievere consiliis; sed domum reversi, conscientia urgente, resipuerunt atque priorem resumpserunt constantiam.

16. Quod regis consiliarii considerantes in furiam versi, domus eversionem comminati sunt, si consentire recusaremus; nam propter unanimem nostram constantiam manus in nos mittere formidabant. Igitur adversantium dietim 10 accrescente malitia, quidam e nostris et tædio affecti, et comminata domus eversionem formidantes, atque ceteros omnes regiæ jussioni obtemperare videntes, decreverunt et ipsi obtemperare, Deum sibi propitium fore multis lacrimis prius efflagitantes, atque dicentes : *Tu, Domine, qui corda 15 nosti omnium, tu scis quam iniquum sit quod isti a nobis extorquere nituntur; tu etiam nosti quam fortiter et multipliciter eorum restitimus violentiæ et prævalere nequivimus; atque ut hæc evadere possemus discrimina, quantum et qualiter elaboravimus. Obsecramus igitur nunc immensam tuam clementiam, quatenus ea quæ forinsecus, renitente corde et conscientia, facturi sumus, nobis indulgere digneris.* Et his dictis, quidam e nostris in verba regis juraverunt. Reliqui autem idipsum recusantes, et pro justitia et veritate et corpus et animam et omnia quæ mundi sunt, exponere parati atque in proposito 20 constantes inventi, in fetidissimum detrusi fuerunt carcerem; qui omnes decem fuerunt, sacerdotes tres, quorum ista nomina : Richardus Beere, Thomas Johnson et Thomas Grene; unus diaconus, Joannes Dauy; et conversi sex, scilicet Guilielmus Grenewode, Thomas Scryven, Robertus Salt, 25 Walterus Peerson, Thomas Redyng et Guilielmus Hoorne; omnes professi domus nostræ Londoniensis. Acta sunt hæc anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, quarto kalendas junii. Qui miseria ac fetore carceris suffocati, omnes in brevi, uno dempto fratre converso, scilicet 30 Guilielmo Hoorne, feliciter migraverunt ad Dominum. Quod regis vicarius supranominatus audiens, admodum ægre tulit quod scilicet acrioribus eos non affecisset tormentis, sicut

sub juramento sese facturum devoverat; sicut et demonstratum fuit in eum qui solus relictus fuerat fratrem. Nam ipsum post quadriennium in carcere ac tali miseria expletum, eductum consimili morte ac tormentis affecerunt, quibus antea affecerant sanctum patrem nostrum priorem ac socios ejus, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

17. Interim dum hæc apud nos agerentur, facta est grandis in regno commotio, vulgi scilicet adversus regem; qua sedata, quidam nobilis vicinus domui illi, ubi duo e quatuor fratribus nostris, qui, ut supradictum est, per duas domos ordinis nostri dispersi fuerant, morabantur, adiit præfatum regis vicarium dicens ei qualiter illi duo fratres regiæ iussioni et imperio rebellarent. Quod ille audiens, dedit ei potestatem eos tractandi secundum legis rigorem. Qua ille desideranter accepta, duxit illos coram duce Norfolciæ in civitate Eboracensi, et constantes inventi, jussi sunt suspedio necari; quod et factum fuit. Nam suspensi fuere illi duo sancti patres, quorum unus Joannes Rochester, alter Jacobus Walwerk vocabatur, extra muros præfatæ civitatis Eboracensis, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, quintodecimo die maii. Reliqui autem duo fratres, qui in aliam partem regni pulsi fuerant, post annum et dimidium domum reversi cum ceteris qui remanserant, in verba regis juraverunt. Sed spe nostra frustrati sumus: promittebatur namque consentientibus pax et stabilitas et ipsius domus nostræ permansura integritas; sed mentita est iniquitas nobis. Nam infra annum, postquam in verba regis juraveramus, irritum illi fecerunt pactum suum. Omnes namque nos e domo expulerunt numero octodecim, videlicet sacerdotes duodecim et conversos sex. Acta sunt hæc anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo, quinto-decimo die novembbris. Et ex hoc tempore versa est hereditas nostra ad alienos et domus nostra ad extraneos, factaque est spelunca latronum et scortantium diversorium. In ecclesia autem regis tentoria reponebantur; super altaria aleis luserunt, et alia plura nefanda potius deflenda quam recitanda

commiserunt. Sed anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto ab hujusmodi immunditiis emundata domus data est in hereditatem cuidam militi, qui de ea sibi palatium fecit, diruens, ædificans, mutans quadrata rotundis. Et hæc hactenus. **Deo semper gratias.**
